



TRACTATUS  
DE ABSOLUTIONE  
AD CAUTELAM,

Autore J. TOURNET Advocato Parisiensi.

ILLUSTRISSIMO  
AC REVERENDISSIMO DOMINO D.  
FRANCISCO,  
ROTOMAGENSI ARCHIEPISCOPO,  
NORMANIÆ PRIMATI,  
S. D.

FAMA est, REVERENDISSIME ANTISTES, s<sup>æ</sup>p<sup>e</sup> contigisse, ex complurimis ardua montium celsissimorum, Alpium forte vel Pyrenes anhelanti ascensu scandentibus, ut unus lapillum è loco vertici viciniori in profundissimi præcipitii declivia projiceret, quo statim in ima vergente, fuisse luculentam imbrum nubem solutam, quæ magno impetu cum fragore & repento profluvio deorsum delaberetur. Idem propè mihi nudius tertius splendidissimæ tuæ mensæ accumbenti, nec tam exquisitis epulis & non esurientes ad carpendum invitantibus intento, quām urbanis & perdoctis sermonibus tuis attento evenisse comperi. Cūm enim pleraque de censuris Ecclesiasticis coram Pontificii Juris peritissimis Canonicis Bretevilleo Rotomagi Officiali tuo, eodemque vigilantissimo & prudentissimo Cleri Gallici Syndico, atque Acaia Pontifara Vicario quoque tuo, egregiè, ut moris est

tui , differeres , tum excidit mihi Absolutionis ad cautelam  
mentio : ad quam voculam tanta repente dicendi se tibi se-  
ges obtulit , ut etiam sublatis mensis facundissima & nivibus  
hybernis uberior tua vix quiescere potuerit oratio ; ad cuius  
splendorem cum tanquam ad Solis jubar mens cogitatioque  
caligare videretur mea , obstupefacto similis , & trepidante ve-  
stigio a conspectu tuo discessi : donec ad me reversus , &  
eandem questionem a quibusdam Juris Canonici Interpreti-  
bus agitatam & pertractatam recordatus , paulisper confirmari  
coepi , manumque calamo admovi , ut breviter id quod non  
tam de novo protuli , quem quod de tua amplissima disputa-  
tione excipere potui , hujusmodi epularum avidis reliquiarum  
instar objicerem . Debueram tuæ in me benevolentia , me-  
quæ in te observantia locupletius edere testimonium , sed ta-  
men ingenuorum debitorum , & in quantum facere possunt  
pro tempore contendentium , exemplo , hunc per breve Tra-  
statum , quo tibi animo porrigo , accipias rogo , si per tempus  
& negotia licuerit toto exasse sperans me tibi satisfacturum.  
Vale.

*Reverentiae tuae addictissimus*  
*J. TOURNET Adv. Par.*



# TRACTATUS DE ABSOLUTIONE AD CAUTELAM.

## CAPUT I.

*Quid sit Cautela.*



A U T E L A , ut cautio , vox est Jurisconsultorum propria , quorum consilio unicuique cavetur ut securitati suæ provideat . Justinianus in *L. San-cimus 3. C. de Verb. & rer. signific.* definit cautionem *ισφάλειαν* , id est securitatem , quæ generali nomine vocatur Satisfatio , speciali Fidejussio ; quod in Jure ita frequens est , ut ubique & passim occurrat . Cùm verò homines contendant , aut super civili , aut super criminali controversia , inde fit ut cautio variè constituatur : in civili causa qui cavet , dicitur *Pras.* , id est qui præsto est paratusque ad prædia pignori opponenda , hinc prædiis & prædibus cavere veteri formula : qui verò in criminali iudicio cavebat , *Vas* dicebatur . Ausonius utrumque in monosyllabis describit :

*Quis subit in litem capitali iudicio ? Vas.*

*Quis cùm lis fuerit nummaria quis dabitur ? Pras.*

Ex quo colligitur cautionem respicere tempus futurum & in eventum aliquem qui incertus est dari , quasi quedam sit provisio ne tempore res pereat : qui enim in præsentia satisfacere potest , non opus habet gravari cautione . Res enim ipsa cautione est securior , quæ plerumque fragilis est , juxta illud Comici in Asinaria :

*Semper oculatae nostræ sunt manus , credunt quod vident.*

*Vetus est , nihil cautio est.*

Hinc ab Ulpiano dicitur, rem cautione potiorem esse, *L. Suspectus* §. ff. de susp. tut. & curat. & à Paulo fragilitas cautionis dicitur, *L.* Qui ita institutus 66. §. 2. ff. ad Sc. Treb. & ab eodem incertus cautionis eventus, *L. pupilli* 6. ff. quod fals. tut. aut. An autem sit Cautela idem quodd Cautio, posset quodammodo dubitari, cùm in malam partem plerumque Cautela usurpetur, & pro deceptione videatur accipi. Longè autem aliud est cavere, & aliud decipere, ut etiam cautio plurimum differt à deceptione. Et forsitan eorum nimia subtilitate contigit, qui fraudes formularum auctiuiis necabant, ut cautela cōperit haberi pro suspecta & fraudulentia provisione: cùm tamen Gallus Aquilius, qui cautionum formulas plurimas edidit, nunquam Juris Civilis rationem ab æquitate se junxerit, ut Cicero ipse testatur in orat. pro Cæcina. Imò & Cautela apud Juris Autores pro cautione sumitur. Duobus certè in locis hanc vocem in ea significatione ponи invenio, prior est Caii in *L. si defunctus* 15. in fine ff. de procur. Qui ad communi dividendo judicium datus est ad agendum, item & ad defendendum videbitur datus, dupli cautela interponenda. Alter est Pomponii *L. quamvis convenerit*, 6. ff. de Pignor. act. prius idonea cautela à debitore pro indemnitate ei praestanda. Sic eo sensu à Canonistis cautela pro cautione intelligenda est usurpari, quodd caveatur tam excommunicato quam parti litiganti: & alius sic multis in locis absolutionis ad cautelam fit mentio, cap. Cum desideres cap. per tuas, cap. sacro, cap. venerabili de sentent. excommunic. apud Gregorium, cap. Apostolica de except. apud eundem, cap. veniens de testib. cap. ad presentiam de appellat. & in tribus Constitutionibus Innocentianis, Cap. solet, cap. præsenti, cap. venerabilibus de sentent. excommunic. in 6. & aliis plerisque locis.

## CAPUT II.

*Quid sit absolutio ad cautelam.*


**A**B S O L U T I O ad cautelam potest sic utcumque definiri. Absolutio de facto, cùm excommunicatio non tenet de jure: quæ definitio est Alexandri III. in cap. ad præsentium de appellationib. apud Greg. ad hæc verba, *Licet non effet excommunicatus de jure, de facto tamen fecerunt eum absolvi.* Itaque de facto absolvere, & ad cautelam absolvere idem sunt. Vocatur etiam relaxatio ad cautelam, dicto cap. ad presentiam de appellat. & cap. venerabilibus de sentent. excommunic. in 6. Dicitur absolutio de facto, nimirum propter cautelam vel cautionem quam tenetur dare absolutus de sistendo iudicio, & parendo sententiae Episcopi vel alterius excommunicatoris: & ista cautio est juratoria, cap. ad reprimendum de Off. ordin. quod est Innocentii III. ad Rotomagensem Archiepiscopum & ejus Suffraganeos, cap. cùm desideres ibiam: & vocatur etiam fidejussoria, cap. scelericos §. eosdem de sentent. excom. in 6. & aliquando loco sacramenti fit

## DE ABSOLUTIONE AD CAUTELAM.

377

Et tantum manualis promissio, cap. super eo de sent. excomm. apud Gregor. & illa est forma vel consuetudo Ecclesiæ: ideoque de facto exigitur, cap. venerabilibus §. sed si ex causa de sent. excomm. in 6. cap. cùm contingat de off. & pot. jud. delegat. in antiquis. Unde apparet sententiam absolutionis ad cautelam esse provisoriam, & suspendere quodammodo effectum excommunicationis. Quæ si post absolutiō nem injusta videbitur, ipse excommunicator tenebitur excommunicato ad omne interesse, cap. sacro de sentent. excomm. si justa probata fuerit, excommunicatus vicissim tenebitur ad interesse excommunicatori, ibid. Præterea de facto etiam est talis absolutio, quia est de gratia quæ facti est, non juris: unde dicitur in cap. cùm contingat §. in ea verò: nihilominus esset ei absolutio impendenda humiliiter postulanti. Et hoc tenent Interpretes Juris Canonici secundum Rebuffum in additionib. ad Regulas Cancellaria regul. 60. de Indulgentiis. Imò dicitur præter jus, vel supra jus: si enim esset de jure, deberet causæ cognitio in judicium deduci, ut constaret de veritate causæ appellationis, antequam daretur absolutio ad cautelam, dicto cap. cùm contingat de iff. deleg. & sic contra rationem juris & de gratia speciali sunt introductæ Decretales, solet, & per tuas de Sent. excomm. in 6. Eadem absolutio ad cautelam locum etiam habet in sententia suspensionis, dicto cap. Apostolice de exception. cap. venerabil. de Sent. excomm. sed in sententia interdicti generalis non admittitur, cap. presenti de Sent. excomm. in 6.

Denique dicitur ad cautelam pluribus de causis: vel quodd caveatur excommunicato, ne videlicet illius acta prætextu excommunicationis irrita dici possint; quæ si veritas appareret, facile rescindi possent: vel quodd caveatur etiam aliis personis, ut sine scrupulo cum absoluto possint communicare, conversari & participare: vel ut amplius caveatur parti contra excommunicatum litiganti, ut post absolutionem liceat cum eo negotium gerere, cap. solet de Sentent. excomm. in 6. & dicto cap. per tuas. Sed melius Glossa dicti cap. ad presentiam, & cap. significasti 1. de Homicidio, apud Gregor. existimat dici absolutionem ad cautelam; quodd scilicet quamvis excommunicatio nulla esse assertatur, tamen ad omnem ambiguitatem tollendam, & ad maiorem cautionem excommunicati, ut tutiori loco sit illius conscientia, talis absolutio postuletur, si forte aliquatenus eâ opus esset: & in omnem eventum, si nimis excommunicatio quæ injusta dicitur, tandem à judice justa reperiatur: qua forma dicitur quoque pœnitentia ad cautelam dicto cap. significasti, & sequenti: cùm dubitatur an culpa contracta sit, & pœnitentiâ sit opus, ut in homicidio casuali, & similibus.



## CAPUT III.

*Vnde introducta sit Absolutio ad cautelam.*

**E**CCLÉSIA, ut charitatis & veri amoris officina, suorum utilitati & saluti semper invigilat, & tum maximè consulit, cùm lèdere incautorum & imprudentium opinione videtur. Nam cùm vulnus infligere censetur, tunc sanat; cùm necare, tunc ad vitam revocat; cùm dedecus adferre, tunc dignitatem auget. Ideo excommunicatio, quæ gladius & fulmen vocatur, nunquam est mortalis & noxia, nili quando contemnitur, *cap. i. de Sentent. excommunicat. in 6. Contra.* ut ibidem dicitur, est sui naturâ & intentione Ecclesiæ medicinalis, disciplinans, non eradicans. Itaque cautè providere Judex Ecclesiasticus debet, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis; ut scilicet qui ita punitur pro temporali aliqua pœna, salutem consequatur in die Domini, *Can. Andi xi. q. 3.* Hinc illud est D. Ambroſii *lib. 2. de Officiis cap. 27.* Episcopi affectus boni est sanare infirmos, serpentina auferre ulcera, aliqua adurere, non abscindere; denique quod sanari non potest, cum dolore amputare.

Cùm verd probitas rubore provocetur, ob id medicinalis dicitur excommunicatio ratione effectus, quòd nimirum excommunicati plerumque rubore perfusi se à fidelium consortio videntes exclusos, resipiscant, & ad bonam frugem redeant, *(an. multi ii. q. 1.)* Inde verisimile est Ecclesiæ mentem esse, ut nemini salutis comparandæ via occludatur, sed quovis tempore misericordiæ & indulgentiæ fenestrarum aperiat, & quemvis etiam sacris & communione Sanctorum interdictum admittat & amplectatur, modò humiliter remedium animæ ægrotantis, vel anathematis mucrone sauciatae postulet, & collum Ecclesiæ parenti submittat; ut omnino postquam plenè satisfecerit, absolutatur, vel saltem ad tempus vel ad cautelam absolutionem impetrat. Hæc enim cautela vel cautio tam in favorem ipsius excommunicati, quam cæterorum gratiâ exigitur, ut paulatim incipiat se judicio Ecclesiæ subjicere, qui videbatur illam irritavisse; vel innocens pronuntietur, si sententia in illum lata non teneat: idque videmus à Jure Civili non esse alienum; cùm nunciatio nulla Prætoris partes in prohibendo cessare faciat, *L. unie. ff. de Remissionib. argumento L. 2. c. de Ingennis manu.* & quod in dicta *L. unica*, dicitur remissionem fieri à Prætore nuntiationis, quæ non tenet, quamdam videtur habere affinitatem cum eo quod in Jure Canonico dicitur, relaxationem fieri quando non tenet excommunicatio; non aliter quam cùm vicinus nuntiavit novum opus, & hæc nuntiatio non valet, remittit vel missum facit Prætor.

Cùm igitur omnis excommunicatio in eum finem fulminetur, ut errati & delicti veniam petat censurâ notatus, atque ut se reconciliet

Ecclesiæ matri piissimæ; danda est opera, ut quoties absolvit desiderat excommunicatus, audiatur, præsertim cum habet aliquam justam causam sententiaæ contra se latæ impugnandæ, ut donec pleniùs de ea sit cognitum, in omnem eventum vel ad cautelam absolvatur. Sic plerumque dabatur tempus excommunicatis, intra quod satisfacere præcepto Ecclesiæ debebant, quo facto soluti erant vinculo censuræ. Id autem licet ex Canonibus Apostolorum colligere cap. 35. *Quicumque Episcopus curam sibi commissam non suscepit, à communione sejunctus esto donec suscepit, & si non voluntate, sed populi malitia discedere fuerit coactus, maneat Episcopus.* Hic enim in suspenso est excommunicatio, donec satisficerit, ut in cautela, interim dum examinabitur utrum justè an injustè fuerit excommunicatus. Præterea & in Sardicensi Concilio cap. 14. vel 17. apud Gratianum, Can. si Episcopus forte iracundus. Si quis innocens ab Episcopo forte iracundo à communione expellatur & excommunicetur, providendum est ne innocens damnetur aut perdat communionem, *τοις οὐδενός τὸν πιστὸν κατέχειν, καὶ τὴν νοούσιας ἀποτελεῖσθαι.* Præterea si qua alia ratio clara & manifesta appareat, qua sententia injusta, vel nulla, vel post appellationem interpositam lata arguatur, certum est iis casibus absolutioni ad cautelam locum esse; & ideo cum talis sententia non liget, excommunicatum interim relaxandum esse, cap. solet, cap. venerabilibus de sentent. excommunic. in 6. aliisque suprà cætatis.

## CAPUT IV.

*Quibus in casibus locum habeat Absolutio ad cautelam.*

**E**XCOMMUNICATIO multipliciter dividitur, ac potissimum duplex ejus adfertur divisio; prior est, quod omnis excommunicatione aut jure ipso, aut ab homine feratur, cap. religioso, cap. eos qui, cap. cum quis de sentent. excommun. in 6. Quæ fertur à canone, dicitur sententia Juris: quia vi ac potestate Juris sive canonis absque hominis vel Judicis alicujus ministerio infertur: & tunc cum jure producitur sententia, dicitur *Canon lata sententia*, sicque vocatur cap. 2. de prescript. in 6. Notandum tamen est ipso jure vel facto incurrire sententiam excommunicationis idem esse, cap. quia periculosum de sentent. excommun. in 6. Cum verò infertur sententia à Judice, dicitur *Canon ferende sententia*, eodem ferè modo quo in Civili Jure id quod ipso jure fieri dicitur, opponitur ei quod fit per officium Prætoris, id est ope vel ministerio Magistratus, L. 1. ff. quod falso tutor. aut. L. 1. ff. quib. mod. ususfr. amitt.

Altera est divisio excommunicationis, nempe cum una major dicatur, altera minor: illa est separatio hominis Christiani à communione fidelium, & à corpore Christi, id est Ecclesia, Can. Angelicam III. q. 4. Minor est separatio à participatione Sacramentorum

tantum : utraque ligat, & animam potissimum afficit. Itaque cum quis vel à canone sive ipso jure, vel ab homine aut Judice scilicet Ecclesiastico, vinculo excommunicationis se innodatum esse dubitat, postulare potest per Judicem competentem se absolvi ad cautelam ; dicto cap. solet ead. Nam aut excommunicatio tenet, id est ritè lata est, etiamsi parum justa : aut non tenet, hoc est nulla est. Si tenet sententia, opus est solutione : si non tenet, absolutio non est necessaria, sed declaratio tantum nullitatis, & excommunicatus non est absolvendus cum verè non sit ligatus, sed declarandus est non ligatus, cap. cum contingat de off. deleg. apud Gregor. Primo casu quando tenet excommunicatio, si excommunicatus appellat, ad suum excommunicatorem debet remitti, neque absolvi ab eo ad quem appellavit, nisi urgente necessitate periculum sit in mora, vel in ipso mortis articulo à quolibet Presbytero, cap. eos qui de sent. excomm. in 6. vel cum Episcopus qui excommunicavit, malitiosè differt solutionem, dicto cap. per tuas & cap. venerabilibus. At secundo casu cum excommunicatio non tenet, quamvis non sit necessaria absolutio, & excommunicatus possit stare in judicio, dicto cap. per tuas ; tamen ut plurimum absolutio postulatur, quæ dicitur ad cautelam, dicto cap. solet.

Ubicumque ergo excommunicatio nulla est, vel dubitatur an justa sit, vel ubi periculum est in mora, ut in cap. sacro, apud Greg. de Sent. excomm. vel si adsit periculum mortis, dicto cap. eos qui in 6. vel cum excommunicatio lata fuit post appellationem legitimè interpositam ; vel si sententia contineat manifestum in se errorem : quod explicatur in cap. venerabilibus §. penult. de Sent. excomm. in 6. Est enim manifestus error & intolerabilis, cum aliquid iniquum sub vi præcepti vel mandati in sententia aperte continetur ; veluti si excommunicatus aliquis fuerit ab Episcopo, quod pauperi eleemosynam erogaret, vel aliquid opus aliud non culpandum faceret, vel quod jussum aliquid injustum & prohibitum non exequutus fuisset ; iis casibus Archiepiscopus ad cautelam absolvere potest. Denique ex quacumque causa nulla sit sententia, datur absolutio ad cautelam.

Quæ vero sententia dicatur nulla, explicat distinctè Glossa in cap. presenti de Sent. excomm. in 6. ubi duodecim casus enumerat, quibus nulla dicitur sententia : sed illi sunt præcipui, si post appellationem, si à non Judice, cap. ad audientiam 3. de Consuet. apud Gregor. si ab excommunicato, Can. audivimus xxiv. q. 1. si à Delegato contra delegantis intentionem, cap. ult. de Præb. in 6. si contra privilegii tenorem, cap. cum capella de Privileg. in 6. & ut dictum est, si manifestum & intolerabilem contineat errorem, dicto cap. venerabilibus. Sed casus ille est singularis, quo aliquis absolvitur ad cautelam, quando opponitur illi excommunicatio, ut actus necessarius & qui sine excommunicato nequit expediri, pereat & ad nihilum redigatur, repellendo illum ab agendo : tunc absolvendus est ad cautelam & ad effectum, ut agere possit, quod notatur in dicto cap. veniens de testib. apud Greg. circa finem, ubi audiuntur Canonici excommunicati, ut

probentur per eos quæ facta fuerant in Capitulo, cùm nulla aliunde emergere posset probatio; & idcirco mandatur à summo Pontifice Abbatibus de Novofonte & Casæ Dei, ut eos absolvant ad cautelam. Vult tamen Rebussus dicto loco peti absolutionem ab ipso à quo lata excommunicatio dicitur, arg. cap. Apostolice de Cleric. excomm. vel depos. ministr. apud Gregor.

Ut autem absolutio ad cautelam locum habet in casibus suprà dictis; sic certum est eám locum non habere in sententiam Interdicti in aliqua loca generaliter lata: quamvis in excommunicatione & suspensione soleat dari, ut cap. solet suprà dictum est, & in cap. Apostolice de Except. cap. venerabili, apud Greg. & redditur ratio ab Interpretibus, quod cùm excommunicatio sit durior & periculosior interdicto, idcirco præsentí remedio excommunicatis est subveniendum: vel quodd cùm absolutio ad cautelam non detur nisi præstata juratoria cautionem, ut dictum est, & ut plurimum interdictum propter Principis aut domini temporalis culpam interponatur; iniquum esset si innocentes qui tales peterent absolutionem, cogerentur juratoriam præstare cau- tionem: vel tertio & melius, ut videlicet domini temporales qui plerumque adversus Ecclesiam sunt contumaces, magis hanc pœnam re formident, videntes sibi omnem absolutionis spem ademptam, do nec de causa penitus cognitum sit, & culpam emendaverint, dicto cap. solet de Sent. excommunic. in 6. Id quod, ut dictum est, valet in Interdicto universali, veluti populi totius; non in Corpore aliquo, vel Collegio, vel Universitate aut Communitate, in quibus relaxatio datur ad cautelam, cap. ad hæc quoniam, de Appellation. apud Gregor. & ibi Glossa, cap. præsentí de Sent. excomm. in 6.

Hic autem animadvertisendum est quoties datur absolutio ad cautelam, vel ob periculum moræ, vel morbum gravem, vel ad certum tempus, vel ad effectum certæ rei, ut ferendi testimonii, vel ob aliquam aliam urgentem occasionem, non omnino solvi excommunicatum, sed sublato impedimento, & jam sui factus compos & liber excommunicatus, debet adire summum Pontificem, & quām citissimè potuerit se illi præsentem exhibere petendæ plenæ absolutionis causâ, & in finem satisfactionis; alioqui finito periculo si id negligat facere, re in idet in excommunicationem: & ideo dicitur illa absolutio cum reincidentia, vel ad reincidentium, cap. Apostolice de Except. apud Greg. cap. eos qui de Sent. excomm. ubi Glossa duos casus notat reincidentiæ. Prior, cùm in periculo imminentि aliquis absolvitur, quo cessante non potuisset solvi nisi à summo Pontifice, qui si se præsentare nolit, aut negligat, reincidit in priorem excommunicationem. Posterior casus est, quando absolutus ad cautelam, à Papa fuit remissus ad Diœcesanum vel alium, si infra tempus se non repræsentat, ipso facto reincidit in pristinum vinculum excommunicationis. Quodd si quis ita absolutus non possit adire summum Pontificem, vel morbo vel alio impedimento, per procuratorem potest peti absolutio, cap. cum desi- deres & cap. porrò de Sent. excomm. apud Gregor. & ibi Panormit cap. intelleximus de Judiciis. Postremò locum habet absolutio in exempto,

qui à Dicæsano si excommunicetur & appelletur, absolvendus est ad cautelam, quasi nulla sit sententia, quæ tanquam à non suo judice contra exemptum fuerit prolata, cap. cum olim 2. de Privileg. apud Greg.

## CAPUT V.

*Quis finis, qui sunt effectus Absolutionis ad cautelam.*

**Q**UAMVIS in cap. 2. suprà breviter attigerimus finem & effectum absolutionis ad cautelam; tamen hîc distinctius & apertius exponere visum est. Ac præcipue quinque referuntur fines absolutio-nis. Primus est, ut favor & gratia Ecclesiæ magis innotescat, quando scilicet sententia tenet in excommunicatum lata, si excommunicatus firmius & probabilius credat quod sententia non teneat, conceditur in omnem eventum illi ad cautelam absolutio. Nemo enim debet indefensum jus suum relinquere, L. illud quoque 40 ff. de Hæred. petit. Est enim ante omnia consulendum animæ ulceratæ, ut conscientiæ detur refrigerium, quo possit paulatim accedere ad divinorum mysteriorum participationem. Eaque cautela respicit personam excom-municati, & in eo mortis est periculum, cui excommunicatio æqui-paratur, cùm quis propter eam & propter peccatum facilius moria-tur, Can. Episcopi x i. q. 3. & cap. qua fronte de Appellat. apud Gre-gor. Secundus est finis vel effectus, ut etiam caveatur alii quibuscum excommunicatus posset in sacris communicare, & aliis negotiis ne-cessariis, quod alias fieri non posset sine periculo saltem excommu-nicationis minoris, cap. statutus de Sentent. excomm. apud Gregor. & cap. si verè eod. Tertius est effectus, ut vitetur injuria & infamia quæ per excommunicationem infligitur, & tollatur opinio ejus qui putat se falsò esse excommunicatum, cap. cùm desideres §. secunda de Sent. excomm. apud Gregor. Quartus est ad cautelam futurorum, ne scilicet quæ gesta fuerint ab excommunicato, fiant irrita, dicto cap. salet 2. Quintus ad cautelam vel subventionem veritatis probandæ, ut in dicto cap. veniens 2. de Testibus, apud Gregor. Videretur etiam absolutio ad cautelam maximè favorabilis propter eos, qui communi-cantes cum excommunicatis innodantur excommunicatione minore; quod non evenit cùm absolutio ad cautelam præcessit, ut mox dice-tur, ut in easu cap. si verè de Sent. excomm. apud Gregor. His igi-tur de causis datur absolutio ad cautelam; nec tamen is qui petit sic absolvì, fatetur se rectè excommunicatum fuisse, per regulam illam Qui gratiæ adversarii se submittit, juri suo non renuntiat, cap. veniens de renunciat. apud Gregor. Unde queritur, si judex vel adversarius pe-tat ut ille confiteatur sententiam tenere, antequam absolvatur, an confiteri cogatur? Dicunt Interpretes in cap. per tuas non teneri, quia ex confessione partis non debet crescere vel decrescere jus ad-versarii, ut probatur in L. servitutes §. si qua ff. si servit. vindic-

Neque etiam quidquam prodest, sive protestetur petens absolutionem, sive non protestetur.

Quid autem producat h̄c absolutio, aut quos effectus pariat, ex eo cognoscitur, quod conscientia tam excommunicatorum quam cum illis communicantium tutiore in loco sint, & liberè cum hujusmodi absolutis liceat conversari. Quod tamen cum distinctione intelligi debet, ut in dicto cap. solet distinctè explicatur; ut in extrajudicialibus, veluti in officiis divinis scilicet & publicis, & sic securè celebrando, in postulationibus, electionibus, & aliis legitimis actibus admittantur. Potest enim eo modo absolutus, & tamen remanens excommunicatus, etiam divina celebrare impunè, cap. ad presentiam de Appellat. apud Gregor. licet alioqui fiat irregularis qui celebrat excommunicatus, cap. 4. de Clerico excomm. minist. & Can. si quis Episcopus damnatus, & sequenti x i. q. 3. Si tamen ignoret se excommunicatum, non fiet irregularis, cap. Apostolica de Sent. excomm. art. 1. Gregor. At verò in judicialibus absolutus ad cautelam vitandus est, excepto probationis nullitatis sententiae articulo, dicto cap. solet.

Differentiae verò istius plures rationes adfert Glossa: vel quod in judiciis remanet actio quamvis differatur, cap. pia de Except. in 6. vel quod facilis interdicuntur judicialia quam extrajudicialia, & ea quae sunt juris quam ea quae sunt facti, L. sunt quidam servi ff. de Pœnis: vel quod in judicio agendo levius impediri debemus, cum extra judicium quisque suo jure nitatur; vel quod in judicio judex quasi medius sit paratus, cap. sape de Appellat. in 6. Verum his rationibus potior ista videtur, quod scilicet hoc detur honori Judicis excommunicatoris, qui magis contemni videretur, si à se excommunicatus ad judicialia admitteretur, quam si ad extrajudicialia, in quibus sibi nullum adfertur præjudicium.

## CAPUT VI.

### *A quo Absolutio ad cautelam peti debeat.*

SI consideretur finis absolutionis ad cautelam, Bernardi Commentatoris Decretalium opinio non est rejicienda, nemirum ut à quolibet Judice Ecclesiastico possit concedi, in dicto cap. solet de Sent. excomm. in 6. Unde & Judex ordinarius, & Metropolitanus, vel Superior ad quem devoluta est appellatio, & Judex delegatus, & quilibet etiam Presbyter in articulo mortis potest ad cautelam absolvere. In quo tamen adhibenda est distinctio: nam aut pro contumacia, aut pro offensa manifesta lata est excommunicatio, cap. ex parte & cap. cum olim de Verb. signific. apud Greg. Si pro contumacia, quia in absentia & contra indefensum lata est sententia, & citatus non comparuit propter periculum viarum, vel aliquod impedimentum; debet à Metropolitanu, ad quem appellavit absolutio ad cautelam, humiliter petenti sine mora præstari: veluti etiam cum dubia est offensa, eo modo absol-

vendus est excommunicatus, nisi malit Metropolitanus Suffraganeo suo deferre, & ad eum remittere excommunicatum, ut absolvat ad cautelam.

Quod si Suffraganeus vel Ordinarius, scilicet excommunicator, noluerit juxta formam Ecclesiæ cum absolvere; tunc debet superior Metropolitanus absolvere, data cautione de stando judicio & parendo sententia, cap. *venerabilibus de Sent. excomm. in 6.* & cap. *per tuas eod. apud Greg. in quo non habetur ratio contradictionis, si se opponat vel excommunicator, vel aduersarius.*

Quod si Ordinarius propter manifestam offensam excommunicatio-  
nis sententiam tulerit; tunc Metropolitanus non debet eum absolvere,  
sed differre donec culpa fuerit emendata, vel nisi requisitus Ordina-  
rius malitiosè noluerit absolutionem concedere, ut in §. fin. dict. cap.  
*per tuas.* In eo tamen id observandum est, quod in foro etiam Laicorum solet custodiri, ne omisso medio absolutionis beneficium pe-  
tatur. Potest enim fieri ut subditus Ordinario, veluti Archidiaconus,  
sententiam excommunicationis tulerit, à qua excommunicatus non  
ad Metropolitanum, sed ad Ordinarium immediatè superiorem ap-  
pellare debet, & ab eodem petere absolvī. De qua potestate ab Ar-  
chidiacono fit mentio in cap. *ad hæc,* & cap. *Archidiaconis de Off. Ar-  
chidiaconi,* cap. *dudum de Electione,* cap. *Romana de Sentent. excomm.*  
*in 6.* scilicet de consuetudine. Distincta vero est jurisdictio per gra-  
dus, & Metropolitanus nihil habet juris in subditos suorum Suffraga-  
neorum, cap. *pastoralis de Off. Ordin.*

Sed quæritur in Delegato, an possit absolvere ad cautelam: Glossa  
in dict. cap. *solet,* & Rebuffus in loco supra dicto, & omnes férè Inter-  
pretes sunt in ea sententia, ut existimat delegatum à summo Pontifice  
ad aliquod principale negotium, vel generaliter commissum, vel appella-  
tionis sub illa forma, *Si invenis sententiam latam post appellationem, pro-*  
*nuncies esse nullam,* non posse absolvere ad cautelam; idque dūplici ra-  
tione: tum quia rescripta delegationis sunt stricti juris, nec ab eorum  
forma recedendum, cap. *cum dilecta* & cap. *nonnulli de Rescript.* Tum  
etiam quia absolutio ad cautelam non est de Jure, sed de gratia, & ideo  
non est extendenda, argum. *L. quod vero ff. de Legib.* & argumentum  
etiam ducitur à dispensatione: cùm enim Delegati Papæ vel aliorum  
non possint dispensare, ergo neque ad cautelam poterunt absolvere.  
Sed usu contraria sententia recepta est, quando specialiter & expresse  
commissum est Delegato, ut absolvere possit ad cautelam. Unde tamen  
excipiuntur Delegati intra Romanam Curiam, ut est in *Decisione Rota.*  
Siquidem non facilè hujusmodi absolutio ibi conceditur, ubi extraor-  
dinaria & præjudicialis habetur, & semper excommunicatio secum tra-  
hente executionem censetur, *Rota decisione 426. cap. pastoralis de Ap-*  
*pell.* ideoque cum majori difficultate datur quam simplex absolutio,  
ut notatur in dict. cap. *solet* & cap. *venerabilibus.*

## CAPUT VII.

*Quæ sit forma Absolutionis ad cautelam.*

**F**ORMA absolvendi ad cautelam, vel ex ordine procedendi, vel ex forma pronunciandi & verbis in sententia absolutionis expressis sumitur. Ex ordine forma præscribitur in *capit. solet §. in prima igitur.* Nam ubi Judex animadverterit locum esse absolutioni ad cautelam, nimirum ubi contumacia dedit locum sententiae, vel est dubia offensa, præmittet summaria causæ cognitionem, ut cognoscat fueritne manifesta offensa, an dubia: in quo casu, ait ibidem Innocentius IV. terminus octo dierum indulgebitur sic asserenti, ut si probaverit quod opponit adversarius vel excommunicator, non relaxetur sententia, nisi priùs sufficiens præstetur emenda. Quod si non probaverit manifestam offensam, aut si dubia remaneat, non obstante contradictione & intercessione vel partis, vel excommunicatoris, absolutio ad cautelam non differetur; dummodò antea juret excommunicatus quodd parebit mandatis Ecclesiae, & idoneam præstabit cautionem de satisfaciendo, si fuerit inventus justè excommunicatus. Idque obtinet secundum omnium opinionem, & juxta Monachum & Ostiensem in *dist. cap. venerabili & cap. per tuas & cap. solet eod.* & sic absolvendus est: securus in alia absolutione quæ sit purè & simpliciter.

Altera forma petitur ex verbis ipsis quæ debent apponi, nimirum dicendo, *Absolvo te ad cautelam:* nam nisi hæc verba exprimerentur, intelligeretur pura & simplex absolutio, quæ supponit veram & justam excommunicationem, ut in *cap. capitulum S. Crucis de Rescript. & cap. Apostolica de Except. apud Greg.* Sed utroque modo providere debet Judex ne nimium festinet talem absolutionem concedere; sed summariè, ut dictum est, debet de re cognoscere, an scilicet fuerit lata excommunicationis post appellationem, necne, ut in *cap. quoniam §. in aliis ut lite non contest. apud Gregor.* & præterea prospicere debet an causa appellationis legitimè fuerit assignata, *cap. cordi de appellat. in 6.* Denique reputare debet apud se quæ causam reddant invalidam, ut in *cap. Romana §. cum autem de Appellat. in 6.* Illud etiam ad ejusdem Judicis officium spectat, examinare an excommunicatus malitiösè petat absolvī, ut eo modo adversarius sua frustretur intentione, si negotium diutius prorogetur, ut in *L. tutor 42. ff. de Usur. & fruct. & L. ult. ff. de re judic.* Caveat quoque Judex ne quid odio vel amore, ne prece vel pretio talem concedat absolutionem, ne incidat in pœnas *Decretalis, Cum eterni de re jud. apud Gregor.* Quod si aliquis per vim vel metum se ad cautelam fecerit absolvī, certum est nullam esse absolutionem, cùm ea quæ vi metusve causa fuit rata non habeat *Prætor ff. de eo quod vi metus. causa.* Itaque tantum abest ut hæc vires alias sortiatur absolutio, ut etiam ex hujusmodi facto crescat audacia, & ipsa excommunicatione iteretur, *Can. loci xxxv q. 9. cap. ut clericorum de vita & honest. cler.*

## CAPUT VIII.

*An Absolutio ad cautelam possit impediri.*

**H**OC caput ex Rebussi sententia postremo loco addetur, qui in loco supra dicto, scilicet ad Regulam 60. de Indulgencie, quinque refert modos quibus absolutio ad cautelam potest impediri. Primus est, si per procuratorem petatur, secundum opinionem Ostiens. cap. cum desideres de Sentent. excomm. apud Gregor. & videntur in ea esse opinione domini de Rota in Decisione 426. in novis. Quid ideo volunt impediri, propterea quod procurator non posset jurare, neque satisfacere, neque cavere pro excommunicato. Sed id communiter reprobatur, ut supra dictum est cap. 4. in fine. Quod tamen intellegendum est si justum occurrat impedimentum propter quod excommunicatus comparere non possit. Nec obstant quæ dicta sunt de procuratore, quasi in ipsius persona non consistant quæ requiruntur ab ipso excommunicato. Nam potest habere, ut debet revera comunitus esse procurator, speciale mandatum & ad juramentum præstandum, & ad cavendum, aliaque legitimè facienda, secundum Doctores in cap. venerabilem de Elect. Secundus modus est ratione Judicis incompetenter, ut dictum est supra precedenti capite, cum à non judice quis petit absolvi ad cautelam, vel omisso medio. Tertius est modus quando petitur contra jus, vel ob causam injustam vel impram, scilicet in casibus in quibus peti non debet, de quibus supra etiam dictum est. Quartus, ratione formæ non servata, ut cum petitur ob manifestam offensam, vel sine satisfactione, vel cautione, vel juramento; cum tamen est dubium inter partes an satisfactio dari debeat, standum est arbitrio boni judicis, cap. cum olim de Verb. signific. apud Gregor. Quintus & postremus, ratione temporis, ut si petatur tempore feriato argum. cap. fin. de Feriis, quia debet dari spatium aliquod temporis quo adversarius citari possit. Sed id non probatur Rebusto, siquidem feriae cessare debent ubi agitur periculum animæ, quæ est omnibus præferenda, Can. præcipimus XII. q. I. L. sancimus C. de Sacros. Eccles.

Et hæc sunt, Illustrissime ac Reverendissime Protomystes, quæ post tuas ea de re discussiones & disceptationes, ex tempore in tua urbanissima & eruditissima mensa uberrimè & elegantissimè habitas, de absolutione ad cautelam colligenda putavi: non ut tuis aliquid doctissimis ac exquisitissimis ea de re commentationibus adderem, hoc enim esset, aquam ad mare: sed ut quo studio, quaque animi contentione & quasi aviditate, tuos excipere sermones soleam, intelligas: quos si liceret etiam auris, absit dicto invidia, litteris exarandos putarem.

*Finis Tractatus de Absolutione ad Cautelam.*

EXTRAIT DU PRIVILEGE DU ROR,

P A R grace & Privilege du Roy, en date du 22.  
Avril 1677. signé GAMART , il est permis à  
JEAN DE LA CAILLE , Marchand Libraire à Paris,  
d'imprimer ou faire imprimer , vendre & debiter,  
pendant le temps de vingt années un Livre intitulé,  
*Francisci Florentis Iurisconsulti celeberrimi , Opera ju-  
ridica*, avec défenses à tous Imprimeurs , Libraires , &  
autres , de l'imprimer , vendre ny debiter pendant  
ledit temps, sans le consentement del'exposant , à peine  
d'amande, confiscation des exemplaires , & de tous  
dépens, dommages & interests , comme il est plus am-  
plement porté par lesdites Lettres de Privilege.

Registré sur le Livre de la Communauté des Marchands Li-  
braires , Imprimeurs de Paris , le 25. May. 1677.

Signé, D. THIERRY Syndic.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 20. Mars 1679.